

Int. 4848
c.2

OPOBALSAMUM DECLARATUM

IN

DISSERTATIONE MEDICA,
CUM

CONSENSU EXPER. FACULTAT. MEDICÆ,

Sub PRÆSIDIO,

NOBILISSIMI ATQUE CELEBERRIMI

D:N Doct. CAROLI
VON LINNÉ,

EQUITIS AURATI. DE STELLA POLARI
S:Æ R:Æ M:TIS SVECIE ARCHIATRI,
MEDICÆ. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET ORD.
ACAD. SCIENT. PARIS. UPSAL. HOLM. PETROPOL.
BEROL. BERNENS. LONDIN. ANGLIC. IMPER. EDINB.
MONSPEL. TOLOS. ET FLORENT. MEMBRI,
PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBMITTIT.
STIPENDIARIUS REGIUS.

WILHELMUS LE MOINE,

PHIL. MAG.

STOCKHOLMENSIS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE XXII. DECEMB.
ANNI MDCCCLXIV.

H. A. M. S.



U P S A L I E.

135

OPOBALSAMUM DECLARATUM

IN

DSSERTATIONE MEDICO-

CUM

CONSENSU EXPERTI VINCULAT. MEDICO-

SUR PRASIDEO.

MORISAM TUDINE CEREBERRIMA

DN. DOC. CAROLI

VON LINNE.

EDITIONIS ALTAE ET SEPARATAE

QUE REX MAGISTER ET ARCHATRI

PROFESSIONIS PROFESSORIS REO ET OPI

ACAD. SCIENT. PARIS. COLLEGE HONOR. PROFESSOR

BEROL. BREVISSIMA LOND. A. 1753. IMPR. J. KIRK

PRIMUS TUDINE TUDINIS TUDINIS TUDINIS

TUDINIS TUDINIS TUDINIS TUDINIS

WILHELMUS LE MOINE

PRINTER

STOCERHONENSIS

IN AUREL. CAROL. MAR. DE L'XII DECENB.

AN. MDCCCLXXVII

LIBRA

1753. TUDINIS TUDINIS TUDINIS TUDINIS

TUDINIS TUDINIS TUDINIS TUDINIS

VIRO
ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO,

D:NO BARONI

DE SCHACK,

POTENTISSIMI DANORUM

REGIS

CUBICULARIO

ET AD

AULAM REGIAM SVECICAM
LEGATO

EXTRAORDINARIO SPLENDIDISSIMO,

LITTERARUM AC LITTERATORUM

PATRONO MAXIMO.

Incrementum Botanices, quod NATIONI DANI-
CÆ, sub Sapientissimo REGE felicissimæ, orbis
debet litteratus, brevi dissertatione descriptum TIBI,
VIR

VIR ILLUSTRISSIME, qui summum DANICÆ,
MAJESTATIS splendorem heic repræsentas,
cum ardentissima perpetuæ felicitatis adprecatione
offerre sustineo, quoad vixero permansurus

ILLUSTRISSIMI AC GENEROSISSIMI

NOMINIS TUI

CARICULARI

ET AD

ALIA MATERIAM SABICAM

LEGATO

REGALIA - PHILIPPIANARIO - PHILIPPIANARIO

MURUS ET ALIAS EX CIVITATIBUS

HISTORIAM OMNIA

I. CONSTITUTIONE HISTORICÆ, quod MATTONI DAN

REGE apie

Wilhelmus Le Moine.

VIR



I. N. J.

CAP. L



edicina per indefessam tot diligentissimorum Medicorum operam, ad illud, quo jam exsplendescit fastigium evenia, studiis cultorum suorum gloriaatur merito. Illud vero notari meretur, quod non partes ejus singulæ pari sint sollicitudine exculta.

Ad speratum jam perfectionis gradum Anatomia perducta est. Physiologiam sane Halleri, Commentarios D. van Swieten & Pathologiam Sauvagesii solidissimam legens miror & obstupeisco. Chemia etjam nostro ævo mirifice est exculta. Ab altera vero parte scientia velut claudicat medica. Si enim Materiam medicam & medicamenta ægris quotidie præscribi solita respicimus, multa sane adhuc, & qve ac primis temporibus sunt obscura. Nuperenim innotuit, quod Lignum Aloë *Ficus* sit Rumph.

Gummi Elemi, *Burseria*.

Animæ, *Hymenæa*.

A

Co-

Copaiva, *Copaifera*. Jacq.

Anisum Stellatum, *Ilicium*.

Myrobalani, *Panell*. Rhed.

Ebenus, *Uvaria*. Rumph.

Rhodium, *Aspalatus*. Brown.

Mahagoni, *Swietenia* Jacq.

Sed ad hunc usque diem *Myristica*, *Balsamus Peruvianus*, *Gummi Amomiacum*, *Gummi Curaunæ*, *Gummi Myrrha*, *Gummi Bdellium*, *Sagapenum*, *Lignum Aspalathum*, *Lignum Fernambuci*, *Orobalsamum* & quæ plura sunt, non fatis recte cognoscuntur. Nullum enim vegetabile, ignorato genere &, quæ inferior est, specie, rite cognoscimus; Nam confusis generibus, confundi omnia necesse est. Ex genere Plantæ congeneres & Ordines naturales cognoscimus: natura enim saltum non facit Hinc etiam Materia medica a Nob̄ D:no Præside constituta, species vegetabilium suisquaque generibus subiectando immortalem ubique nacta est gloriam.

OPOBALSAMUM, *Balsamum Verum*, *Balsamum Gileadense*, *Balsamum de Mecca*, *Balsamum præstantissimum*, inter medicamenta maxima atque admitanda merito numeratur, a quo postea Resinæ fluidæ ac fragrantes mutuantur nomen, ut *Balsamus Peruvianus*, *Copaivanus*, *Tolitanus*, & quæ sunt plura, nec non *Balsama* tandem Medicorum artificialia & composita.

Præ ceteris vero omnibus Opobalsamum eminet, atque a primis usque temporibus maximi fuit pretii: laudatur dudum a Theophrasto, & deinceps a Dioscoride, Plinio & Veteribus tere singulis, ut taceam medicamentum hoc eximium præ ceteris omnibus hodieque a gentibus Orientalibus, Arabibus nempe, Aegyptiis, Turcis aliisque summis extolli laudibus. In nostris quoque Pharmacopoliis plerisque exhibetur, at raro genuinum, sed adulteratum seu supposititum. In ipsis enim terris Ori-

en-

entalibus adeo rarum est genuinum, ut difficulter admodum haberi queat. Imperator ipse Turcarum illud per singulares ministros à loco ejus natali quotannis adquirere cogitur, si verum atque intemeratum habere voluerit. Adquiritur autem jam his temporibus interdum genuinum per mercatores, qui Meccam quovis anno frequentant.

Cum igitur Opopobalsamum genuinum ægre paretur, omnem Medici, maxime Italici, seculis jam præteritis navarunt operam, ut veram & adcuratam Opopobalsami obtinerent cognitionem. Hinc tot de hoc Balsamo scripta prostant singularia, quin etjam Medici Veneti & Romanii, initio proxime elapsi seculi, seriam de Opopobalsamo vero instituerunt pugnam, quo hi maxime pertinent Scriptores.

Lobelius, (Matth.) Explanatio Balsami Lond. 1598 Quart.

Perez, (Caspar.) de Balsamo. Sevill. 1530. Quart.

Alpinus, (Prosper.) Dialogus de Balsamo. Venet. 1591. Quart.

Chioccus, (Andr.) Carmen de Balsamo. Veron. 1596.

Veslingius, (Johan) Vindiciae Opopobalsami Patav. 1644. Quar.

Baldus, (Bald.) Propugnationes Opopobalsami. Rom. 1640. Quart.

Castellus, (Petrus.) Balsamum examinatum Messan. 1640. Quart.

Pittorius, (Peregr.) Censura Opopobalsami. Venet. 1642. Duod.

Castellus, (Petrus.) Opopobalsamum triumphans. Venet. 1640. Quart.

Donzellus (Joseph) Synopsis de Opopobalsamo. Neap. Additio Apologetica. Neap. 1640. Lettera familiare. Padua. 1643.

Campi, (Balth.) De Balsamo. Lucc. 1623. Quart. de Balsamo. Lucc 1640.

Guibert, (Nicol.) De Balsamo Argentin. 1603. Duod.

Perla, (Fransisc.) Dissertatio de Balsamo Orient Rom.

A 2 1641. Duod. Gia-

- Giaquintus, (*Travult.*) Ragguglio sopra il Balsamo.
Trent. 1640. Quart.
 Anonymus, Distruzione de falso Ragguglio. *Const.*
1640. Quart.
 Volckamerus, (*Johan Georg.*) Examen Opopobalsamii
Norib. 1640. Duod.
 Nardus, (*Johan*) Epistola de Opopobals. *Norib. 1644.*
Duod.
 Bonannus, (*Baltb.*) Epistola de Opopobalsamo. *Norib.*
1644. Duod.

ut ceteros taceam.

Etsi vero tot viri non sene rudes in hanc rem incubuerunt, nemo tamen hodie magis, quam tempore Salvatoris vel etiam Alexandri Magni, novit, unde Opopobalsamum sumatur genuinum.

CAP. II.

Exigua, quam de planta, ex qua Opopobalsamum sumitur, habemus, notitia duobus debetur Peregrinatoribus magni nominis, qui fruticem ipsum in Oriente viderunt, *Bellonio* nempe & *Prospéro Alpino*.

BELLONIUS, *Itin. libr. 2. cap. 39.* in quodam inquit pago Materea prope Cairum spectatum ivimus hortum, Balsami fruticibus consitum.

Quoniam porro Balsami planta admodum celebris pretiosa raraque est; hic scribere licuit ejus historiam: In magno quodum horto sunt, sed angusto loco muris conclusæ, quos exstructos fuille ajunt postquam Turca Aegyptum Sultano ademit: Bacham autem, a Turcarum Imperatore huic Regioni Praefectum, ea arbusta digna existimasse, quæ peculiari loco concluderentur.

Cum istic essemus, novem aut decem duntaxat frutes ejus inerant, qui nullum liquorem præbebant. Inter notas a veteribus proditas, quibus Balsamum dignosci possit, una est, ut perpetuo vireat: illud tamen in

in Materea, apud Cairum, pauca admodum folia septem-
bri mense habebat, quod nobis insolens visum est. Nam
relique Arbores, quæ hieme virere solent, folia solum
novo vere abjiciunt, cum videlicet nova germina pro-
duxerunt; solentque autumno magis virere, quam novo
vere. At reliquæ, quæ folia abjiciunt, id sub hiemem
facere solent, ut æstate, nova adquirant. Omnes ejus
frutices singularem stipitem habebant pedis longitudine,
& pollicari crassitudine, tenuibus ramulis præditum, quos
rara folia obsidebant.

Ubicumque autem nascuntur duorum aut trium
cubitorum altitudinem non superant, & pedalem adepti,
in multos graciles ramulos anserinæ pennæ caule haud cras-
fiores finduntur. Nova germina subrubente cortice testa,
foliaque viridia habebant, lentiscinorum foliorum mo-
do formata, hoc est, utrinque in nervo nata, ut in Ro-
sarum, Fraxini, Juglandis foliis videre est, ciceris ta-
men foliorum magnitudinem non excedebant, sique
construxta erat eorum series, ut postremum foliolum ex-
tima nalam occupans, imparem numerum efficeret. Nam
totius alæ, foliolis numeratis, terna quina aut septena in-
veniuntur, septenarium certe numerum superare vix a-
nimadvertisimus: extremum autem foliolum reliquis ma-
jus est; factò etenim ab illo progresu, reliqua sensim mi-
nutiora fiunt, ut in Rutæ foliis.

Gmino cortice prædicti sunt ramuli, extimo foris
subrubente. Ejus Sapor mediùs inter Thus & Terebinthi
folium, Saturejæ silvestri similis, valde gratus, digitis tri-
tus Cardamomum olet: ipsum Lignum candidat, odoris
& saporis expers; non secus atque aliud inutile lignum.
Ipsius virgæ rectæ & graciles, rarisque foliorum alis
sparsum & contuso ordine nascentibus obseptæ, quæ ter-
nis quinis aut septenis foliolis constat.

Experientia autem didicimus, lignum illud vulgo

Xylobalsamum nuncupatum, quod ex felici Arabia delatum, a mercatoribus venditur, cum Agyptio, quod in Materea colitur, convenire: nam desiccatum nostrum balsami ramum cum eo, quod in Officinis venale reperitur, conferentes, notis responderi deprehendimus. Et licet Theophrastus in ea opinione sit, silvestre & sponte naescens non inveniri, asserere tamen audemus ab omni aevo in felici Arabia fuisse atque etiam nunc nasci.

Interrogati mercatores Cairini de Balsamo nobis affirmarunt, atque se meminisse, suo tempore, Balsami frutices qui nunc in Materea coluntur, ex Arabia felici, magnis sumptibus Sultani delatos.

PROSPER ALPINUS de *Plantis Aegypti & in Dialogo de Balsamo* figuram fruticis expressit, quæ foliis & fructu omnino Belloniana, flore prorsus nullo, pro quo est rudimentum quoddam floris imperfecti staminei, sive apetalii; unde etiam Botanici recentiores partim ab hac figura floris supposititia, a foliis pinnatis, & fructibus monospermis, partim etiam ex ipso balsamo quod Terebinthianum referre quodadmodum videtur, fruticem Balsami ad speciem aliquam retulerut Pistaciæ, cui Terebinthus etiam subiecta.

Antiquiorum multi Opopobalsamum in Palæstina tantum inveniri & in duobus Judææ Viridariis coli ac servari crediderunt. Theophrastus notat Balsamum in valle Syriae gigni in duobus tantum, ut ferunt, hortis. Josephus de *Antiquitatibus Iudaicis*. Lib. 8. narrat Sabæ Regnam balsami plantam, cuius hodie ferax nostra regio est, ex Arabia in Judæam tulisse Salomonique eam dono dedisse, ex qua ibi aliae postea plantæ propagatae fuere. Alii iterum, quod postquam Judæa a Ptolomæo primo Rege Aegypti ac Vespasiano devastata est, balsamum in vallem Hiericum appellatam transplantatam fuisse ibique vixisse, & ab Artaxerxe Persarum Rege primo, ac mox a Romanis,

nis, *Adriano Cæsare*, rursus tota ea regione bello everfa, prorsus balsami plantam perisse. *Plinius* dicit Balsamum uni Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, viguisse & Romanos inter & Judæos bello hos in Arbusculam sœviisse sicut & in vitam suam, contra vero Romanos defendisse & dimicatum pro frutice fuisse. *Dioscorides* non solum in convalle quadam Judææ, sed & in Ægypto nasci testatur.

In Ægypto tantum, ut *Alpinus* perhibet, plantatum fuit prope Cairo, in Horto Mathariæ, seu secundum Bellonium Matereæ, quo delatum fuit Anno 1575, quod etiam vidisse Bellonium est probabile. *Præfetus*, nempe Eunuchus Messinor, translationem de Mecca instituit & quadraginta plantavit frutices. Constantinopoli quoque plantatum fuisse ferunt. Jam vero non nisi in Arabia felici prognasci novimus, ubi passim crescit; ab aliis in Arabia deserta dicitur esse frequentius. Hodie vero neque in Ægypto, neque in Palæstina occurrit.

CAP. III.

Per totum jam celebratur orbem literatum Expeditio Arabica, quam nuper instituit REX DANORUM potentissimus. Celebratissimus vereque doctissimus Gottingenium Professor, D. *Johan David Michaelis*, qui linguis Orientalibus & Philologia Sacra immortalem consecutus est nominis famam, difficultatem explicandi Scripturam Sacram, in iis maxime, quæ Scientiam naturæ spectant, vix superabilem perspexit, nisi quis ad hoc negotium aptus ad Palæstinam & Arabiam mitteretur, adcuratam harum regionum historiam adquisitus naturalem.

Summus Daniæ Monarcha **FRIEDERICUS**

V:TUS, nomen dudum Friederici Magni, & que ac Ludovicus Magnus Gallorum, scientias promovendo meruit. Huic pretiolissima orbis debet *Conchylia*, quæ Regenfucius adeo elegantur delineavit, ut nihil supra. Huic eximiam de-

be-

bemus *Floram Danicam*, quam vivis exprimere colo-
tibus laudabili plane successu adnititur *Oederus*, Profes-
tor Hafniensis celeberrimus.

Horium quoque Botanicum Haffniæ Rex majoribus,
quam ullus antea, subsidiis instituendum curavit. Ut
spartam taceam, tum in Historia Naturali, tum in Oecono-
mia, Professoriam ab Ipso Haffniæ fundatam, unde
ad scientias practicas & fructuosas adeo jam excitata est
Natio Danica, ut, æmulantibus in Mathesi, Mechanica,
Artificiis manuariis, Oeconomia & Historia Naturali ci-
vibus, palmam ceteris reddere videatur dubiam.

Societas Litteraria ab Eruditis Nidrosiensibus instituta
rarissimis dudum inclaruit naturæ miraculis, sub Polo
Arctico per omnia seculo delitescentibus. In hac Episco-
pus eruditionis gloria conspicuus D. *Gunnerus*, utrumque
ejusdem Dei Librum, Naturam & Revelationem, con-
jungit, ut juniores exsurgentem *Fabricium* in Entomo-
logicis, *Zegam* in Muscis investigandis, *Brunnichi* in Or-
nithologicis, pluresque alios nominare supersedeam. O
Nationem felicissimam, cui, sub Tanto Rege, pacis
frui commodis bonisque litare Musistamdiu licuit!

Tanto Regi, in bonas litteras ac scientias tantopere
propenso, pupillum suum, Philologiam loquor Sacram
commendare D. Professor Michaëlis duxit consultissimum,
idque per summos hujus Monarchæ Ministros litteris fa-
ventissimos, Excellentissimos nempe *BERNSTORPHI-*
UM atque *MOLKIUM*, qui rem ad Regem Suum eo
cum successu detulerunt, ut numerosam expeditionem ob-
hanc causam in terras Orientales ablegaret.

In tantis ausis ad Historiam Naturalem nemo inven-
tus est aptior Magistro *Petro Forskål*, nostrate, qui præter
solidam in Philosophia tum Theoretica, tum Practica,
Eloquentia, ceterisque scientiis communioribus eruditio-
nem, lingvarum Orientalium fuit peritissimus. Hic a
te-

teneris usques annis Historiam præcipue dilexerat Naturalem, idque eventu adeo felici, ut in Entomologicis magnus haberri posset. Immo totum se scientiæ naturali dare voluerat, nisi sacros Ordines ipsi, quoad consulere possent, propinquai commendassent. Postea vero majori studio scientiam hanc adamatam sub auspiciis Nob. D:ni Præsidis mei, tractare coepit, ut, ex peregrinatione Germanica redux, sub Prælectionibus Nob. D:ni Præsidis tum publicis tum privatis auditor fuerit assiduus, nec unquam absentem desideraverint in his castris commilitones. Hunc igitur, Professoria jam dignitate Danicæ Academiæ a iiscriptum, & ad Orientales terras jam abiturum ante omnia rogavit Nob. Dominus Præses, ut de Familia & Genere Opobalsami certiorem adquireret cognitionem. Cum vero per instructionem suam exteris suas aperire observationes non posset, aliquot ante obitum suum præmaturum diebus litteras de Opobalsamo apertas ad Nobilissimum Dominum Præsidem Epistolæ suæ ad Excellentissimum Dominum *Bernstorffium* inseruit, additis precibus, ut ad Nobilissimum Dominum Archiatram eas perferri gratiore permitteret. Annuit Vic Illustrissimus statimq;ve epistolam Forskalianam huc transmisit; & vide re adhuc videor, quanto cum gaudio nuntius ille gratissimus heic fuerit exceptus, neque ipse sine eximio deletionis sensu doni ejusdem factus sum particeps.

Metuit Nobilissimus Dominus Archiater & Præses fatorum inclementium crescentibus scientiis inimicam, nec tineis inventum tanti pretii corrodendum tradere voluit. Hinc rem adeo ponderosam cum Orbe litterario communicare mihi perbenigne indulxit, quam tamen Gloriosissimo, Potentissimoque Regi Danorum serenissimo

FRIEDRICO V:TO totam referimus acceptam, ut nobis quidem, præter scribendi negotium, nihil sit relictum.

CAP. IV.

Arabiam, ob sumtus & pericula, pauci admodum adi-
cepotuerunt eruditii, nostro in primis tempore, postquam
caput extollere coepit Botanica. Est vero haec unica ter-
ra, quantum huc usque novimus, quae Balsamum verum
producit.

Narravit vero, ut diximus, Professor Forskål litteris
ultimis die 9 Junii 1763 ex Arabia datis, Opobalsamum
nihil cum Pistacia Terebintho haberē commune, sed
ad Genus pertinere, ad quod nullus unquam referendum
cogitaverit.

Obtinuit Nob. D:ns Præses Anno 1736 in Horto Clif-
fortiano fruticem Americanum, cui Elemi ortum debere
credebatur, quique floribus Octandris, Monogynis,
tetrapetalis erat distinctus. Vocatur hic in *Horto Cliffor- tianop. 486 Elemifera*, sed cum fructus obtineri non posset,
charakter mansit imperfectus. Nec Genus in Generibus
Plantarum receptum, usque dum D. D. Brownius in
Historia sua naturali Jamaicensi p. 109 illum constituit sub
nomine *Amyris*, quod genus postmodum confirmavit
D. D. Jacquin. *Histor. Amer.* 7, cuius character jam
conspicitur in *Generibns Plantarum* Nob. D:ni Præsidis, e-
ditionis 6:tæ N. 473. qui sic se habet.

AMYRIS Brownii, Jacquinii.

Calyx *Perianthium monophyllum*, semi quadrifidum,
acutum, erectum, parvum, persistens.

Cor. *Petala* quatuor, subrotunda, concava, patentia.

Stam. *Filamenta* osto, subulata, erecta. *Antheræ* ob-
longæ, erectæ longitudine Corollæ.

Pist. *Germen* ovatum. *Stylus* crassiusculus, longitudine
staminum. *Stigma* subcapitatum.

Per. *Drupa* subrotunda.

Sem. *Nux* globosa nitida.

Ab hoc Genere in *speciebus Plantarum Nob.* D^onus
Præses quatuor adducit *species*, nempe

Elemifera. 1. A. foliis ternatis, acutis.

maritima 2. A. foliis ternatis, obtusis.

toxifera 3. A. foliis impari pinnatis.

Balsamifera 4. A. foliis bijugis.

Ad hoc Genus profecto verum referri debet Opobal-
lamum, quæ sententia non tantum litteris nititur p. m.
Professoris Forskål, verum exsiccato etjam ramulo, quem
instrumentum foliis & floribus in epistola transmisit. Sed ut
eo majorem in hac re Lector obtineat lucem, litteras ipsas
celeberrimi Forskålii huc transscribere lubet: itavero ille

„De Genere Arboris Balsami de Mecca ut Te, dum
„vivis, facerem certiorem, desiderasti. Jam hac de
„re veram Tioi, Vir Maxime, sistere relationem me posse
„confido; cui tamēn ut multos omnino annos felix sis su-
„perstes, intimis voveo suspiriis. Pertinet illa ad novum
„Genus Brownianum, quod *Amyris* dicitur. Arborem
„cum foliis, sed absque floribus, ad Giddam conspexi.
„Folia omnia erant ternata, adeoque non ad fo-
„lia magis, quam fructum, Alpini videbatur delineati-
„o adcurata. Ramus quilibet fragrantissimum Bal-
„sami de Mecca odorem fractus spargebat. Arbores
„sponte prope Medinam magna crescent copia, atque
„ibi tantum ex illis Balsamum colligitur. Heic ad Jemen
„arborem inveni, quam *Abuschám*, id est, *fragrantem*,
„vocant Arabes. Foliis illa & odore Arborem Balsami,
„Giddæ visam, perfecte refert, nisi quod omnia plane
„folia sint ternata. Fructus Carpolbafamo perfecte similis,
„ut eum Alpinus recte delineavit. Flores ejus vidi, Genus
„*Amyris* plane ostendentes. Est alia quoque heic ad Jemen
„ejusdem Generis specie, cuius lignum in Ægyptum us-
„que, ad pocula & urnas suffiendas, transmitti solet.

Ex his videmus singulas has species *Amyris* suo quaque modo

modo esse Balsamiferas, ut quarta species in Speciebus Plantatum proprie vocetur *Balsamifera* ab Odoribus Balsamicis, quos ramis ejus tribuit Sloane, qui lignum esse Rhodium existimat. Tertiam Speciem seu *toxiferam* nemo amplius credit venenatam esse, quamvis Catesbaeus il. lam adpellat *Toxicodendron* ex facie, imprimis cum Botanicus ipse non esset, sed soleris tamen collector.

A specie Ima adfinitas Gummi Elemi spurii & Opobalsami cognoscitur. At, ut D. Jacquin narrat, species tum prima, tum secunda fragrantem, sed simul quodammodo ingratum, spargit odorem.

Quamvis vero Opobalsamum ad hoc Genus pertinet, species tamen est a quatuor jam determinatis, inque America solum natale habentibus, plane distincta. Foliis quidem Opobalsamum gaudet ternatis, ut duas species priores; sed cum neutra combinari potest; nam Opobalsamum folia habet parva & integerrima, cum primae & secundae folia sint magna & serrata. Opobalsamum flores habet congestos ad gemmas, prima & secunda autem racemos elongatos. Ut igitur Opobalsamum nostrum ab aliis speciebus distingvamus, dici debet AMYRIS foliis ternatis integerrimis.

Sed supereft ad huc, ut descriptionem Bellonii & figuram Prosperi Alpini inter se conciliemus, quæ utraqne ostendere videtur aliam adhuc speciem hujus plantæ in Arania occurrere, quæ forte est Xylo-Balsamum, cuius folia sunt pinnata & flores ad apicem ramorum sparsi. Nam Specimen Forskalianum folia non nisi ternata aperte gerit & flores, ut dictum est, ad gemmas laterales congestos, qui terminales fieri nequeunt. Sed utramque tamen unum agnoscere genus & propinquam habere affinitatem tum foliola testantur, tum fructus in figura Alpini, qui Opobalsamo nostro omni ex parte sunt similes.

Ex dictis sequitur, quod duas sint in Arabia sub hoc gen-

ne-

nere species, altera foliis ternatis, altera foliis pinnatis, quæ in unam coalescere speciem nequeunt, si modo aliquus sit ponderis figura Alpini, quæ flores ostendit paniculatos, qui in Forskåliana omnes sunt laterales pedunculis unifloris. Verum igitur Obobalsamum folia habebit pinnata, in primis cum Bellonius observator esset acutissimus & circa hoc objectum admodum curiosus, Professor autem Forskål non contendat plantam suam Opobalsami officinalis omnino esse matrem, cum nunquam observaverit nisi tria foliola; tamen certissimus fuit quod, si vere species duæ existant, eae in paucissimis & fere nullis, præterquam numero foliorum, differant. Ut igitur viam ingrediamur expeditam, species hoc modo statuimus:

giliadensis AMYRIS foliis ternatis integerrimis, pedunculis unifloris lateralibus.

Habitat in Arabia felici.

Frutex ramis subpurpurascens, substriatis, gemmis protuberantibus.

Folia ad gemmas conferta, petiolata, ternata, laevia; foliolis sessilibus, integerrimis, lanceolatis, acutiusculis: impari paulo majore, cuneiforme-lanceolato.

Flores ex iisdem gemmis, inter folia, terni: Pedunculis propriis, unifloris, folio brevioribus, inferne vaginatis: *Bractea* minutissima, subbifida.

Calyx monophyllus, hemisphericus, laevis, quadridentatus: dentibus remotis, brevissimis.

Corolla. *Petala* 4, elliptica, sessilia. *Receptaculum* discum floris occupans, marginatum, concavum, purpurascens.

Stamina *Filamenta* 8, subulata, brevissima, ex receptaculi margine orta: *Anterae* oblongi-

giuscūlæ, quasi ex duobus cylindris coa-
litæ, erectæ, flavæ.

Pistillum. Germen receptaculo immersum, intra ca-
lycis fundum: *Stylus* longitudine calycis,
conico-cylindricus, purpureus; *Stigma*,
obtusiusculum.

Hæc igitur; diversa est ab Amyri Elemifera & maritima;
ambæ folia habent crenata, hæc vero integerima.

Habet hæc nostra ad gemmas ramorum rudimenta,
sproti berantias vel dentes obtusos, qui apice aperiuntur
in folia, & flores, adeo resina balsamina saturati, ut hac
fere obdusti videantur.

Opopbalsamum AMYRIS foliis pinnatis, foliolis sessilibus.

Balsamum, Ballessan. *Alp. ægypt. 48. tab. 60,*

Balsamum. *Bellon iter 110.*

Copobalsamum S. Bals. Judaic. *Geoffr. Mat.*

Med. 2. p. 473.

Habitat in Arbia.

Luculenter hæc ab Amyri toxifera differt, quæ etiam
habet folia pinnata, sed foliola non in Opopbalsamo ut
in toxifera sunt petiolata; ut taceam longos & propenden-
tes toxiferæ racemos, nec, ut in Alpini, paniculatos. Fo-
liola alioquin Opopbalsami parva sunt & præcedentis for-
mam retinent. Videbit forte posteritas, an Amyris nostra
Gileadensis, novis propaginibus producere possit folia
pinnata, ut hæc duæ in unam coeant, tanquam varietates.
Hoc enim certum est, quod folia pinnata & ternata adeo
sint cognata, ut omnes fere plantæ foliis pinnatis prima
producant folia ternata. Hoc vero si evenerit, Figura Al-
pini valde erit falsa, ubi flores corymboso-paniculatos
delineat ad extremitatem caulis. Ad quam opinionem
eo facilius inclinat animus, quod Alpinus unde figuram
suam sumserit, non aperte indicat. Verbo: fructus Bal-
sami gileadensis & Opopbalsami Alpini exacte idem; fo-

li-

liola simillima; utriusque germae Balsamiferae. Vero simile videtur flores nunquam Alpino visos, sed potius ex relatione aliorum adpositos fuisse. Hinc concludimus, vel esse utramque plantam unius ejusdemque speciei, vel differentiam adeo parvam, ut inter Jasminum officinale & grandiflorum, vel inter Nigellam arvensem & sativam; utramque producere idem Balsamum majori vel minori copia.

CAP. V.

In PHARMACOPOLIIS tres inveniuntur species: Opopobalsamum, Carpopobalsamum & Xylobalsamum, quorum Opopobalsamum est præstantissimum.

CARPOBALSAMUM est fructus hujus Balsami. Quem misit Professor Forskål in Horto Academicō serendum non germinavit, ceterum figuræ Apini perfecte fuit similis.

XYLOBALSAMUM ramis absolvitur Balsami Gileadensis seu Opopobalsami, quibus templa sua Mahomedani & opulentiores ædes suas fumigare solent; quamvis etiam alia species obscura, minus balsamifera, præbeat Xylobalsamum.

Multa heic de signis & NOTIS selesti Opopobalsami, quod raro apud nos verum obtinetur, essent dicenda, nisi tot hæc eadem Auctoribus essent prescripta. Præcipuum in eo est criterium, quod guttula Balsami aquæ tepidæ immissa mox diffundit ac diffunditur per totam superficiem lactescente colore, quæ, refrigerata aqua, stylo, quasi tunica integra, auferri potest; vide Hasselqu. i:in. 531.

VIRES quoque hujus describere & compilare nimis longum foret. Paucis: vis ejus est Saponacea sive detergens, ut omnia resinosa. Ubi cumque laxitas est in corpore humano, ibi gluten generatur viscidum, quale dentes obducit Scorbuticorum. Orientales igitur resinas adhibent ad masticandum, uti masticis aut terebinthi-

19

næ coqæ, quo facto dentes & halitum servant purum, perinde ac mulieres Dalekarlicæ nostræ eandem ob causam resina sua utuntur masticatoria, ex Abiete. Resinis optime ac purissime albescunt linteæ. Mulieres igitur Orientales Opopbalsamo utuntur pro cosmetico; cùm enim hoc alere dieunt ac molliorem reddere, nec non depurgando colorem induere niveum. Interdum Balsamo Oleum addunt Amygdalarum & Spiritum Vini.

Omnia Saponacea sunt *Diuretica*, ideoque a Medicis ad massam sangvineam depurgandam atque fordes per vias urinarias ejiciendas adhibere solent, unde etjam præscribuntur adversus Asthma ex viscido, in Gonorrhæa & Leucorrhæa aliisque impuritatibus sangvinis.

Resinosa porro etjam sunt *Balsamica* medicis dictæ: unde ars mortuos Balsamandi, id est, a corruptione conservandi carnes dudum innotuit Arabibus & Ægyptiis. Sic etjam resistunt putredini, unde etjam externe tota die tanquam Vulneraria adplicantur, nam vulnera atque ulcera ab aëre, atque adeo a putredine servant; Hinc præscribuntur etjam interne adversus ulcera interna, e. g. Renum, Pulmonis, suntque, in Phthisi præsertim, medica menta, quæ nosse nobis datum est, facile præstantissima, modo diligentur sumantur, ususque carnium omnium plane fuerit proscriptus.

Præterquam autem quod hoc Balsamum est resina tenuissima, odorem quoque spargit gratissimum unde Ausonius.

Sparge mero crines & odore perlue nardo
Hospes & adde rosis Balsama puniceis.

Inflat & instaurat autem hic odor vires animales, unde etjam ab Orientalibus tota die sumitur tanquam Panacea ad vitam prolongandam.

Propinatur etjam ad guttas viginti, quæ Ovi vitello solvuntur; vel in Emulsione seu jusculo, aut Vino, aut cum Saccharo in formam Boli.

Co-

COROLLARIUM.

Ad perpetuam inter Botanicos memoriam Viri de re Botanica, de peregrinatione tam longinqua, tamque periculosa, in qua ob incrementa hujus Scientiae ne vitæ quidem suæ parcere videbatur, longe meritissimi, beati Professoris PETRI FORSSKÅL, conservandam novum plantarum Genus, a Nobilissimo Domino Archiatro & Præside nuper ipsius nomine adpellatum, heic adponere non alienum duxi.

Desumptum autem est hoc Genus ex seminibus, quæ celeberr. Forskål ipse in Arabia collegit, & indultu Regis Daniæ Potentissimi ad Hortos per Europam Botanicos transmittenda curavit.

Planta obscura antea & Charactere imperfecto plane-que misere per Pluknetium delineata, ut Neuradam esse crederet, qui non hanc crescentem videret. Flores ejus sunt profecto singulares eorumque partes, tenuissima lana bombycina adeo intricatae, ut fateatur Nob. D:rus Præses fructificationem ejus esse inter difficillimas, quas extricavit, ut eam vix peritissimus, partibus nondum cognitis, explicaverit.

Foliorum quoque hujus plantæ mirabilis est indoles, quod superne quibusvis objectis tam arte adhaereant, ut discerpantur citius, quam separari possint.

FORSSKALEA.

CAL. *Perianthium hexaphyllum*, eretum: foliolis linear-lanceolatis, parallelis, acutis, persistentibus.

COR. *Patala decem*, spatulata, concava, obtusa, rudia, calyce dimidio breviora, ereta, marescentia: unguibus filiformibus, longitudine limbi.

STAM. *Filamenta decem*, filiformia, intra singulum

C

pe-

petalum singula, longitudine petalorum.
Antheræ subrotundæ, didymæ.

PIST. *Germina* quinque, distincta, oblonga, lana obvoluta.

Styli setacei, corolla longiores.

Stigmata simplicia.

PER. nullum.

SEM. quinque, oblonga, subcompressa, utrinque attenuata, distincta, lana intertexta.

OBS. Numerus in quibusdam deficit floribus.
tenacissima. FORSSKÅL EA

Chamaedryfolia tomentosa mascatensis.

Pluk. alin. 97. t. 275. f. 6. Sbow. afric.

133 (excludenda in Neurada).

Habitat in Arabia.

Die in memoriam PETRI FORSSKÅL,

*Professoris Haffniensis, qui in Arabia
 obiit A. 1763. Julii 11.*

Caulis bipedalis, teres, ruber, hispidus, paniculatus. *Rami* alterni, caule sensim versus superiora breviores.

Folia alterna, petiolata, ovata, lineata, ferrata serraturis utrinque 5 aut 6, hispida, hispiditate superioris paginæ, uncinata pertinacissime adhærente. *Petioli* teretes, foliis breviores.

Flores ex singulis alis, bini, sessiles, hirti, maturo fructu toti decidui. Intra foliorum paria *Ramulus* cum floribus extraordinariis ad basin duobus, qui partium numero pauciori constant, ut Cal. 4, Pet. 5, Stam. 5. Pift. 3, tamen fertiles.

